

Ad I. dubium triplici ex capite contendit Capitulum jus sibi competere tumulandi in propria Ecclesia Presbyterorum et Clericorum cadavera; primo scilicet quia ibi tantum sepulchrum pro iis destinatum inventur: secundo quia hoc jus privative sibi reservavit in primaeva Parochiarum additione. Sepulchri existentiam in sola Cathedrali pro Presbyteris et Clericis resultare dicit tum ex libris mortuorum, in quibus usque ab anno 1579 recensentur Cadavera tumulata in sepultura communi Presbyterorum, ac praeterea ex antiquis et recentioribus ejusdem Ecclesiae inventariis et demum ex testibus examini subjectis annis 1649 et 1650, qui de illa deponunt. Neque sepulchrum hoc confundi posse cum altero ibidem existente pro Societate XII Presbyterorum; quia mortuorum libri, inventaria et testes utrumque egregie distinguunt. Nihil vero faciendos sepulchrales lapides, qui in Ecclesia Parochiali s. Jacobi et in altera s. Salvatoris modo observantur, cum ii recentes sint et clam ac per fraudem inveci, prout ex testibus deprehenditur.

Quo vero ad reservationem juris tumulandi Presbyteros et Clericos animadvertit, Ecclesiam Cathedralis Fulginaten. unicam olim fuisse Parochialem in tota civitate et in ea tantum esse fontem baptismalem. Hinc infert, quod sicuti unicus ille fons baptismalis indicat superioritatem et reservationem juris baptizandi *Butr. in cap. ad audientiam 1. circ. fur. de Eccles. aedific., Rot. in Cerunden. Juris Sepeliendi 28. Martii 1757 §. 17. coram. Stadion*, ita unicum sepulchrum pro Sacerdotibus et Clericis in sola Cathedrali indigitat reservationem juris eorum Cadavera tumulandi. Observat praeterea, in antiquissimis Constitutionibus Sixti IV. moderatis ann. 1481 per Cardinalem

s. Marci cautum fuisse, ut omnes Clerici minores et Beneficiati civitatis et dioecesis Fulginaten. quolibet die solempni interesse tenerentur divinis officiis et Ecclesiae Cathedrali inservire.

Arguit proinde non alio titulo quam jure retentae Parochialitatis ad id compelli potuisse S. Congregatio in *Ferentina 12. Novembris 1639 ad III. et Episcopo Nicien. ad Visitationem SS. LL. 6. Aug. 1677 ad dub. XIII.* Hoc autem in loco provocat ad decretum quoddam Episcopi, de quo meminit anno 1650 Vincentius Butaronus annosus Cancellarius episcopalis. Addit, diu invaluisse morem, ut Clerici totius Civitatis, etsi in alienis Parochiis commorantes, non nisi in Ecclesia Cathedrali satisfacerent praecepto paschali, aut saltem de licentia Prioris Cathedralis in aliis Ecclesiis, item aliquando obtinuisse, ut Vicarii curati et Sacristae Cathedralis possent praebere Sacramenta quibusvis Clericis et Sacerdotibus infirmis, iisque adstare in mortis agone, ex quibus omnibus conatur inferre, evulgari potuisse dicerium, quod *Clerici non faciunt Parochiam*. Ac demum innititur capitularibus Constitutionibus probatis ab Episcopo Battistelli *cap. 15. tit. de jure funerandi Clericos et Presbyteros*, ubi aperta fit mentio reservationis juris Cathedralis pro tumulandis Clericorum cadaveribus.

Ad *centenariam* vero et *immemorabilem* consuetudinem quod attinet, de ea constare asserit ex testibus usque ab anno 1649 et 1650 formiter examinatis; quos inter plurimos recenseri servitio Ecclesiae Cathedralis minime adscriptos; nullosque utilitatem aliquam ab exitu hujusmodi litis fore percipientes, singulos vero fuisse intactae fidei et provectae aetatis, quibus proinde innotescere poterat res in controversiam adducta; omnes

denique testatos esse, sic semper vidisse et audivisse a majoribus. De eadem quoque consuetudine constare tum ex libris mortuorum ab anno 1579 ad haec usque tempora, tum etiam ex rebus a iudicibus Fulginei et ab A. C. iudicatis, quibus decretum Episcopi Montecatino et Parochorum aquiescentia robur addiderunt.

Contendit, *rei iudicatae* obstaculum plenius probasse anno 1694 hanc S. Congregationem, *dum ad iudices suos* Parochorum quaestionem remisit. Nec momenti esse auctoritatem Card. *Petra. tom. 3. ad Constit. 2. Honorii III. sect. unic. n. 40.*, qui commemorans resolutionem captam anno 1694 ab hac S. Congregatione sic inquit: *Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem*. Legerat enim, hunc auctorem magis ex propria quam ex S. Congregationis mente fuisse locutum, cum praesertim, tempore editae resolutionis non fuisset Secretarius S. Congregationis. Caeterum ex allegationibus et scriptis tunc vicissim distributis resultare causam fuisse remissam ad iudices suos, non quia ageretur de consuetudine probanda sed ad instantiam Ecclesiae Cathedralis, ne scilicet eluderetur a Parochis *rei iudicatae* auctoritas et obstaculum. Atque his omnibus accedere sententiam anno 1727 a Vicario generali obsignatam neenon Constitutiones capitulares ab Episcopo Battistelli anno 1729 solempniter approbatas et alteram sententiam anno 1767 a Curia episcopali editam.

Ait minime audiendos esse Parochos excipientes, Parochiarum divisionem usque ab anno 1591 sub Episcopo Bizzono initam nullam prae se ferre Rris reservationem favore Cathedralis. Jespondet enim eo anno secutam non fuisse primam et originariam Parochia-

rum erectionem; sed nudam et simplicem divisionem materialium limitum singularum Parochiarum, quae jam ante certa sub lege erectae fuerant, nec alia de causa, nisi ut melius Consilii Tridentini decretis satisfaceri posset, quemadmodum in proemio instrumenti divisionis anno 1591 habetur; hinc mirum non esse, si in eo nulla fiat mentio reservationis juris tumulandi, prout nec sermo habetur de privativo jure baptizandi, quod tam ante quam post divisionem Ecclesiae Cathedralis petita fuit.

Despiciendas vero exceptiones, quae proponuntur adversus testes super immemorabili interrogatos anno 1649 et 1650. Contendit enim, ex octo illis testibus unicum tantum fuisse olim Ecclesiae Cathedralis Canonicum et jamdiu Canonicatui renuntiasse, et etiamsi omnes fuissent Canonici, cum de nulla illorum peculiari utilitate ageretur planam idcirco etiam pro ipsa Cathedrali probationem constituere *Rot. in Urbeventana jurium parochialium super Quarta funerali 4. Maii 1768. §. 5. coram Azpun.* Praeterea nititur probare, eosdem testes deposuisse cum omnibus conditionibus, quae requiruntur a Glossa *in cap. 1. verb. memoria de Praescription. in 6.* Subdit demum, perperam nunc improbari testes, quos probavit res iudicata iudicis fulginatensis anno 1649 et altera confirmatoria A. C. anno 1652, quibus Episcoporum decreta aliaeque iudicatae accesserunt.

Nec obesse, quod Sententiae hujusmodi non contra omnes sed contra unum vel alterum Parochum prodierint. Observat enim, Sententias in causa omnino simili seu in eadem quaestione adversus unum contradicteore emanatas legitimum statum facere contra omnes aequale jus habentes, perinde ac si citati omnes additque fuissent

Rot. in Nullius seu Sabinen Decimarum 21. Februarii 1763 §. 14. cor. Herrores, et in Romana Funeris 19. Junii 1749 §. 11. coram Vicecomite. Fatetur quidem non semel novas exortas fuisse contradictiones, semper succubuisse; atque hinc ex hujusmodi contradictionibus non solum infirmari, quinimo maxime confirmari inconcussae observantiae efficaciam et rerum judicatarum auctoritatem. *Rot. in Leodien. seu Colonien Jurisdictionis super III. Dubio 17. Januar. 1744 §. 6. cor. Card. Molino et in cit. Nullius seu Sublacen. §. 19.*

Pro certo statuit, jura parochialia acquiri posse non solum a parochiali Ecclesia sed etiam a non parochiali adversus parochialem ex centenaria vel immemorabili praescriptione; *cap. 1. de praescript. in 6., Rot. in Barchinon. Jurium Parochial. 13. Januar 1720. §. 25. coram Aldrovando;* praesertim quando agitur de uno tantum vel altero parochiali jure acquirendo, *Loter. de re Benef. lib. 1. quaest. 20. n. 5. et seq., Ursaya discept. 17. tom. 4. part. 2. num. 63 et seq.* Hinc colligit, multo magis ab Ecclesia Cathedrali et Matrice acquiri potuisse jus tumulandi ex immemorabili consuetudine, *Rot. in Gerunden Juris sepeliendi super Parochiale 28. Mart. 1758. §. 23. coram Stadion.;* cum immemorabilis consuetudo praesumptionem inducat vel stipolatae in primaeva Parochiarum divisione reservationis vel privilegii apostolici vel alterius cujusque optimi tituli, *Pignatell. Consult. Canon. 43. n. 60., Card. De Luc. de Jurisdictione disc. 34. n. 29.,* adde ex his titulis resultare privativum jus tumulandi aut actus alterius parochialis favore Ecclesiae etiam non Parochialis, *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. Clos. 6. n. 53. et seq., Card. Petr. tom. ad Constit. 9. Innocentii III. sect. 3. n. 51., Rot. in praedicta*

Barochinonen Jurium Parochialium §. 16., 17., eo magis quia immemorabilis consuetudo magis operatur quam privilegium apostolicum expressum, *ad text. in cap. super quibusdam §. praeterea de verb. signif., Rot. in dict. Barchinonen. §. 11.*

Frustra opponi, Sententias favore Cathedralis produisse *non in petitorio sed in possessoris tantum judicio.* Respondet enim, immemorabilem consuetudinem praebere quemcumque titulum itaut illius vigore admittatur non solum possessio sed quicumque titulus ex ea possessione desumptus, *Gagliard. de Jurepatron. cap. 7. n. 1. et seq., Ferrar. in Bibliothec. verb. praescriptio §. 3. n. 10.* Hinc infert, Ecclesiam Cathedralis titulo innixam fuisse, cum variae prodierint Sententiae anno 1649, 1652, 1707 et 1767 approbantes immemorabilem consuetudinem tumulandi Presbyteros quoscumque et Clericos: atque idcirco iudices, qui eam probarunt et servari mandarunt, non in nudo possessorio sed in petitorio et super bono jure judicium protulisse.

Inquit, nihil adversari juri Ecclesiae Cathedralis Synodum dioecesanam ann. 1722 sub Episcopo Battistelli, in qua *cap. 27. n. 5.* praecipitur, ut in qualibet Parochiali extruantur sepulchra pro Clericis, cum hujusmodi synodale decretum intelligi debeat de iis Clericis, qui in aliqua Parochiali sepulchrum elegissent, vel referri debeat ad jus commune, absque ulla quoad factum innovatione. Addit Episcopum nec potuisse nec voluisse quidquam detrudere privativo juri Cathedralis. Non potuisse, quia agebatur de jure quaesito tollendo. Non voluisse, quia paullo post, id est anno 1727 sub eodem Episcopo, prodiit ex ejus Tribunali sollemnis Sententia comprobans immemorabilem illius consuetudinem: et quia idem Episcopus anno 1729

confirmavit capitulares Constitutiones, quae *in cap. 15.* totae sunt de jure privativo Ecclesiae Cathedralis humandi Presbyteros et Clericos. Ex his atque ex observantia ab anno 1722 concludit, synodale decretum sine effectu remansisse, praesertim quia nunquam nisi novissimis temporibus et in fraudem constructum a Parochis fuit sepulchrum pro Clericis.

Pergit inde ad suadendum, jus hoc privativum ecclesiae Cathedralis protrahi etiam ad eos Clericos, qui relicta ecclesiastica militia ad munia Laicorum obeunda et ad artes exercendas digrediuntur. Hoc autem in loco observat, privilegia clericalia firma remanere, si agatur de iis, quae tantummodo respiciunt superioritatem, commodum et favorem Episcopi vel Ecclesiae vel ipsius ordinis clericalis, secus vero, si agatur de commodo et favore privato ipsius Clerici in praedictum tertii, *Card. de Luc. in voto pro veritate edito jussu sacrae hujus Congregationis et relat. substit. de jurisdict. disc. 112. in supplement. tom. 16.* Provocat inde ad testes anno 1650 examini subjectos et ad sententias Cathedralis editas, ubi fit mentio de Clericis *cujuscumque qualitatis et conditionis.*

Perperamque apponi, quod in libris mortuorum non exprimuntur Clerici, qui a clericali militia recesserint. Primo enim animadvertit, argumentum hujusmodi negativum nullius roboris esse e conspectu affirmativae probationis desumptae ex testibus et iudicium sententiis. Deinde subdit, nihil causae fuisse, cur in libris mortuorum nominatim exprimeretur qualitas et conditio Clerici defuncti. Ceterum ait, ab anno 1725 hoc saepissime descriptum occurrere in libris mortuorum ob novas cavillandi occasiones, quae quotidie captabantur. Spennendum vero quidquid dixerit Procurator

Ecclesiae Cathedralis occasione litis institutae anno 1692 apud hanc S. Congregationem de jure Cathedralis respectu tantum Presbyterorum et Clericorum, qui in via ecclesiastica progressi fuissent; nam his verbis potentiora esse facta et illimitatum jus ab Ecclesia Cathedrali continuo deinceps exercitum.

Sustinet denique nullo in pretio habenda esse exempla fortasse adducenda interruptae aliquando consuetudinis, quia si illa praecedant antiquam rem judicatam, rejecta ab ista jam fuerunt. Si vero potentiora sunt, tamquam actus in fraudem legitimae consuetudinis esse omnino abrogandos, prout re vera nova decreta et sententiae abrogarunt.

His quoad primum dubium fuse perpendens paucis se expedit a reliquis dubiis, quae a priori pendent. Itaque ad II. animadvertit, testes non solum probasse in genere *universalem* consuetudinem sed etiam nominatim quoad Parochos, quinimo aliquem in specie casum attulisse tumulationis in Ecclesia Cathedrali Cadaveris alicujus Parochi, qui non electa sepultura decesserit.

Addit, cohaerere libros mortuorum, in quibus aperta fit mentio Parochorum, quorum Cadavera in Cathedrali, si alibi quis elegerit sepulchrum. Rem confirmari dicit exemplo resolutionis hujus S. Congregationis in *Andrien. die 19. Septembris 1767.* Ac tandem observat, doctores spirituale conjugium asserentes Parochum inter et Ecclesiam non loqui de stricto, indissolubili conjugio, cum eadem loquendi formam adhibent quoad Canonicos et Beneficiarios. *Rot. in Romana juris tumulandi coram Priolo apud Monacell. dec. 18. n. 22. et in confirmatoria apud eandem. dec. 7. n. 11. et seq.*

Isdem ad III. dubium utitur argumentis desumptis ex testium locutioni-

bus et ex libris mortuorum, in quibus humatio cadaverum Clericorum conjugatorum describitur. Ait, minus vere initium tumulationis istorum Cadaverum desumi tantum ab anno 1725, sed etiam si ab eo tempore desumi vellet, sustinet nihilominus, adesse quadragenariam, quae sufficiat. Tandem pro IV. dubio provocat ad saepe dictos testes et ad immemorabilem consuetudinem.

Parochi e contra ad I. dubium sustinent, tantum nunc agi de bono jure et non de simplici possessione, de quo semper actum fuisse dicunt in praecedentibus judiciis ab anno 1646 ad 1767. Bonum autem jus aperte resultare ex cap. 10. de Sepulturis, et cap. 1. eodem tit. in 6. in Clement. 2. eodem tit., Concil. Trident. cap. 13. sess. 24. et cap. 13. sess. 25. de reform., et quidem cum exclusione Ecclesiae Cathedralis nominatim quoad jus tumulandi, Card. Petra ad Constit. 2. Honorii III. tom. 2. sect. unic. n. 41., Sac. haec Congregatio in Tolentina juris sepeliendi 11. Augusti 1753.

Quoadvero ad consuetudinem animadvertunt, eam contra Parochorum jura rejici a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 13. de reform., et signanter quoad quartam funeralem cit. sess. 25. cap. 13. de reform. et a san. mem. Pio quinto in Constit. edita pro ejusdem Concilii confirmatione cum adjectione clausulae sublata et decreto irritanti, quae clausulae tollunt omnem contrariam observantiam. Ursaya disceptat. Eccles. 19. tom. 6. par. 2. n. 105. Sed etiamsi contraria consuetudo admitti posset, contendunt, eam probandam esse complete et cum requisitis immemorabilibus. Fagnan. in cap. Irrefragabile de offic. ordinar. n. 8. Rot. cor. Molin. decis. 962. tom. 4. n. 17. Asserunt autem, demendum esse tempus, quod ab anno

1646 ad hanc usque diem praeteriit, tum quia per hoc tempus observantia pluribus actis contrariis fuit intermixta, tum etiam quia plurimae obortae fuerunt, ac saepius repetitae ea super re controversiae et contradictiones, cum tamen vel unicus actus contrarius et unica contradictio sufficiat ad evertendam et interrumpendam immemorabilem; Rot. cor. Falconer. in Miscellan. decis. 74. n. 16. cor. Caprara dec. 398. n. 8. dec. 87. n. 5. par. 10. rec. et dec. 304. n. 13. part. 11. recent.

Ex pluribus autem despiciendam sustinet probationem erutam ex Codicibus Cathedralis, in quibus defunctorum nomina describuntur; ac primo scilicet quia iidem Codicis initium ducunt ab anno 1579, a quo quidem tempore ad annum 1646 numerantur solum 67 anni, qui nec immemorabilem nec centenariam constituunt.

Praeterea quia in iisdem Codicibus nullo modo indicatur, cujus Parochiae essent Clerici sepulti in Cathedrali, ac proinde conjici potest, eos vel fuisse de Parochia Cathedrali vel ibidem sepultos ratione Canoniatu aut beneficii residentialis aut ex voluntaria electione aut ob existentiam sepulchri gentilitii, idque resultare dicunt ex parvo numero 35 tantum defunctorum, qui ibidem descripti sunt, cum verosimile non sit, ab anno 1579 ad 1646 in ampla et conspicua civitate per octo Parochias distributa, solum 35 ex Clericis et Presbyteris occubuisse, cum de caetero constet, alios plures eo temporis spatio in aliis Parochiis degentes obiisse, qui in libris Cathedralis non commemorantur.

Addunt, nihil habendam esse probationem desumptam ex testibus formiter examinatis annis 1649 et 1650. Nam quoad primum examen asserunt, illud irritum fuisse ex defectu jurisdictionis, cum factum fuerit coram

Vice-Gubernatore Fulginei et Judice laico in causa ecclesiastica, ad text. in cap.: At in Clerici de Judic. Rot. decis. 260. par. 1. Recent. n. 5. De nullitate quoque redargunt alterum examen et revelata dicta testium; non licuit eosdem testes iterum interrogare aut novo super eadem re inducere ob praesumptam illorum seductionem; ad text. in cap.: Fraternitatis de Haereticis, ibique doctores, Rot. cor. Seraphino dec. 688. n. 1.

Plures hinc congerunt exceptiones adversus testes eorumque depositiones.

Ajunt enim, eos fuisse addictos servitio Cathedralis uti Canonicos aut Beneficiatos aut Sacristas atque idcirco illorum testimonium esse maxime suspectum, cap. literis de testib. leg. 2. cod. eod. tit., leg. nullus ff. eod. tit. Inter hos testes advertunt Canonicum Marchesium Orphini mendacem, varium sibi contradicentem inventum fuisse. Subdunt, omnes ultro admississe, non alios fuisse tumulatos in Cathedrali, nisi qui canonicatum vel dignitatem in eo obtinuerint, ac proinde illorum tumulationem referunt ad titulum Beneficii residentialis, non ad jus privativum Ecclesiae; Amostaz. de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 50., Rota coram san. mem. Clementis XIII. decis. 239. n. 47.; vel quia gentilitium sepulchrum in eadem Cathedrali habuerint, in eoque non electa alibi sepultura tumulari debuissent, Reiffenstuel in jus canon. tom. 3. tit. 28., Rot. coram Ansaldo decis. 633. n. 12. et seq. Praeterea observant, eosdem testes non negare, alios Presbyteros potuisse in aliis Parochialibus tumulari, immo fieri, plures revera in sua Parochiali Ecclesia fuisse sepultos, et omnes affirmare, varias hac de causa et frequenter exortas fuisse contentiones et nihil ea de re audivisse a majoribus vel solum aliquod audivisse a Canonicis

Ecclesiae Cathedralis, quorum assertio tamquam suspecta objicitur, cap. Licet ex quadam de testibus, cap. Fraternitatis de Haereticis, cap. nullus 3. et 4. etc. Nullus ff. de testibus, ac demum observandum proponunt, testem Vincentium Butaroni, qui Cancellarius fuerat episcopalis et qui decretum incertum Episcopi jactaverat, quod Clerici non faciant Parochiam, dissertis verbis postea declarasse, hujusmodi decretum non inveniri.

Ad refellendam consuetudinem afferunt sententiam contra Cathedralem latam anno 1648 a Vicario generali, a quo tamquam civi et patricio Fulginatensi eadem consuetudo ignorari non debuisset. Affirmant, hujusce sententiae validitati nihil fuisse detractum per sententiam Vice-Gubernatoris Fulginei anni 1649, quam nullam et irritam dicunt, tum quia lata fuit a judice laico super re ecclesiastica, cap. discernimus de judic., cap. Ecclesiae de Constit., tum quia edita, a Vice-Gubernatore, quem Gubernator Fulginei delegatus non poterat subdelegare, Bald. in lege more majorum n. 2. ff. de Jurisdic. Castren. in leg. et judice n. 1. cod. de Judic. Nihilque pariter detractum per contumacialem sententiam A. C. anno 1652, quam pariter nullam esse contendunt, quia confirmavit sententiam irritam gubernatoris Fulginei, Card. de Luc. de Benef. disc. 92. n. 8., Rot. coram Dunozet. jun. dec. 420. n. 6., neque per alia decreta et sententias successive latas, utpote quia prodierunt in judicio tantum manutionis et simplici possessorio, nunquam vero super bono jure.

Praeterea allegant Parochiarum divisionem anno 1591 factam ab Episcopo Bizzoni, cujus vigore constituti fuerunt cuilibet Parochiae certi limites et adscripti omnes et singuli utriusque sexus intra statutos unicuique terminos

habitantes, nulla prorsus adjecta reservatione favore Ecclesiae Cathedralis juris privati tumulandi. Atque ex hoc inferunt aut divisionis tempore extitisse jus privativum aut illud fuisse abrogatum, *Rot. in Barchinonen. Jurium Parochialium* 13. *Januarii* 730. §. 4. et seq. cor. *Aldrovando*. Ulterius allegant existentiam sepulchrorum a priscis usque temporibus in tribus parochialibus Ecclesiis cum vetustissima inscriptione: *pro Presbyteris*. Denique confugiunt ad Synodum dioecesanam anno 1722 sub Episcopo Battistelli celebratam; in qua *cap. 25.* statutum fuit, ut inter cetera sepulchra in quolibet Parochiali ab aliis distincta unum adesset *pro Sacerdotibus et Clericis, ubi ipsi tumulentur decedentes non electa sepultura, quamvis alibi esset illa majorum*. Qua super re advertunt, quod pluribus exortis super synodalibus Constitutionibus controversiis, eae omnes accurato examini subjectae fuerunt a particulari Congregatione a summo Pontifice anno 1725 deputata, a qua confirmationis robur obtinuerunt. Hinc colligunt, non amplius posse in quaestionem adduci, quae synodali decreto, ejusdem Congregationis auctoritate probato, fuerunt definita, *Barbos. de offic. et potest. Episc. part. 3. allegat. 93. n. 23.*, *Gonzalez ad regul. 8. gloss. 9. 1. n. 18.*

Sustinent demum, nihili faciendas esse constitutiones capitulares anni 1729, in quibus jus privativum ex antiquissima consuetudine eidem Cathedrali asseritur. Has enim constitutiones irritas proclamant, tum quia conditae sunt ab ipsomet Capitulo, cui nulla est potestas condendi statuta in detrimentum aliarum Ecclesiarum, *Garz. de Benef. par. 8. cap. 1. n. 87. Sac. haec Congregatio in Leodien. capitulationum contra Piginoten. Funeris. 29. Julii 1752*, tum quia editae fuerunt postquam super asserto jure

privativo lites exarserunt cum Parocho s. Mariae Infraportas; tum demum, quia innituntur assertae juris reservationi adjectae pro parte Cathedralis in divisione Parochiarum, ubi tamen nulla de ea fit mentio.

Ad II. animadvertunt, Parochum quemlibet tamquam sponsum conjungi cum Ecclesia sua, *cap. Sicut. quaest. 2.*, et *cap.: Non ignores de Praebend.* Hinc repugnare quod sponsus a sua sponsa post mortem sejungi debeat. *Samuel de Sepultur. disput. 5. contr. 13. conclus. 3. n. 4. Passerin. de stat. hominum tom. 1. quaest. 187 art. 4. n. 329.*, etiamsi Parochus defunctus extra suam Parochiam vixerit et obierit, *Wester ad decretal. lib. 3. tit. 28. n. 41. Amostaz. de caus. piis tit. de funer. lib. 6. cap. 8. n. 79.* Addunt, assertam contrariam consuetudinem non probari et etiam, si probaretur quoad alios Presbyteros et Clericos, non tamen protrahi posset de uno ad alium casum non praecise comprehensum, *Rot. in Hispalen. Juris sedendi in Synodo 20. Junii 1697. §.: Prout coram Muto et cor. Molin. dec. 761. tom. 3. part. 1. n. 17.* Nec ullum haberi exemplum in libris mortuorum ab anno 1579 ad annum 1646 tumulationis cadaverum Parochorum in Cathedrali Ecclesia secutae.

Ad III. observant, Clericos conjugatos, quamvis servent requisita a Concilio Tridentino praescripta *sess. 23. cap. 6. de reform.*, duobus tantum exceptis privilegiis clericalibus: *Fori et Canonis*, quoad reliqua a laicis non differre, *cap. unic. de Cleric. Conjugat. in 6., Rot. dec. 207. part. 15. rec. n. 1.* Subdunt Capitulum anno 1692, quo institui lis coepit, in S. Congregatione de hujusmodi Clericis conjugatis nullam mentionem fecisse, nec in libris mortuorum Ecclesiae Cathedralis ullum describi ibidem tumulatum anno 1725 Clericum conjugatum.

Denique ad IV. contendunt, Quartam funerum debere non ratione tumulationis sed ratione administrationis Sacramentorum, *cap. 1. de Sepultur. in Clementin. Dudum §.: Verum eod. tit., Wiestner ad decretal. lib. 3. tit. 28. n. 51., Lanfred. Respons. Eccles. 33. n. 30. et seq.* Hinc eam pertinere ad Parochum domicilii, *Barbos. de offic. et potest. Paroch. cap. 25. n. 16. et 19.*, etiamsi subditus alienae Parochiae in Ecclesia Cathedrali tumuletur, immo etiamsi sit Canonicus vel Beneficiatus ejusdem Cathedralis, *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 1. cap. 12. §. 1. n. 30., Frances. de Eccl. Cathedral. cap. 21. n. 138. et seq., Passerin. de stat. homin. quaest. 147. art. 4. n. 545.* Nec ullam afferi a Capitulo probationem, quae appositum suadeat. Indubii juris est, omnes christifideles decedentes absque electione sepulturae nec sepulchrum gentilitium habentes, in propria parochiali Ecclesia fore tumulandos. Tandiu vero hoc jus Parochis favet, quamdiu contraria consuetudo non probetur. Consuetudine enim fieri potest, ut defunctorum cadavera, eorum praesertim, qui in sacris Ordinibus constituti fuerint vel minoribus initiati, si nulla electa sepultura decesserint, in Cathed. Ecclesia privative quod omnes alias tumulari debeant. Requiritur autem consuetudo, quae sit quadragenaria cum titulo, *Card. Petra tom. 2. ad constitut. II. Honor. III. sect. unica n. 41.*, vel centenaria aut immemorabilis, quae titulum praesumat.

Hujusce igitur consuetudinis in praesenti causa habenda ratio est ac sedulo expendendae testium depositiones, qui iterato examini subjecti fuerunt, necnon partitae extractae ex libris mortuorum, in quibus descripti sunt Presbyteri et Clerici in Cathedrali Ecclesia tumulati. Ponderandum quantum roboris tribui debeat sententiis, quae favore Ecclesiae Cathedralis va-

riis temporibus et a diversis iudicibus prodierunt. Emmi PP. definire valeant:

I. *An Ecclesiae Cathedrali Fulginei jus competat privative tumulandi corpora tum Presbyterorum tum Clericorum omnium cujuscumque ordinis et conditionis in dicta civitate decedentium absque electione sepulturae et percipiendi omnia emolumenta funeralia in casu etc.?*

II. *An idem jus competat Cathedrali etiam quoad cadavera omnium Parochorum saecularium praedictae civitatis in casu etc.?*

III. *An etiam competat quoad cadavera Clericorum conjugatorum in casu etc.?*

IV. *An praedictis omnibus decedentibus electa sibi sepultura in quacumque alia Ecclesia eidem Cathedrali debeatur quarta funeralis in casu?*

S. C. resp.: Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Die 28. Aug. et 27. Nov. 1773.

Vd.: *Sepult. Canonic.*

9) Confratrum Confraternit.

Confratres confraternitatum existentium in Ecclesiis regularium sepeliendi sunt in Parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Sic S. Congr. Concil. prout in constitutione Innocentii X. in cap.: *Ex injuncto* §. 6. ibi: „An liceat regularibus sepelire in suis Ecclesiis confratres laicos, qui sepulturam non elegerunt? Respondit: Confratres laicos, si non praecedat eorum electio sepulturae, sepeliendos esse in eorum propria parochiali Ecclesia.“ Et hoc procedit, etiamsi in Ecclesiis regularium adesset communis sepultura pro dictis confratribus, ut respondit S. Congr. Concilii in Neapolitana die 12. Febr. 1666 ad septimum dubium.

Confratres ut possint sibi eligere sepulturam in oratorio confraternitatis habente jus sepulchri, requiritur, quod per sex menses ante obitum fuerint adscripti. Sic cavetur in Concilio V. Mediolanen. relato a Gavant. in Manual. verb.: Confraternitas n. 46., a Monacell. part. 4. supplem. ad 1. tom. n. 131.

Sepulchrum in ecclesiis confraternitatum haberi potest sed de licentia Episcopi, uti saepe decisum a s. Congr. *Instit. Eccles.* 105. §. 124.

Si confrater obeat non electa sepultura, moderari non potest sepultura in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a S. Congregatione *Ibid.*

Vd.: *Sepult.* (facienda a Capellano etc.; in eccl. confr.)

10) Damnatorum.

Vd.: *Sepult. carcerator.*

Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnae devotionis, si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiae minus frequentandae. S. Congr. Episc. et Regul. 18. Martii 1590.

11) Delatio eadaveris.

Ad feretrum cum cadavere Episcopi defuncti deferendum Capellanos Beneficiatos nondum teneri sed a Capitulo opportunis remediis compelli posse. N. 1815 die 10. Mart. 1657.

12) Dilatio.

Sepultura non potest differi propter debita civilia. Sacra Congr. Episcop. 23. Aug. 1652.

Vd.: *Sepult.* (tempus); *Visit. de funerib.*

Sepultura ecclesiastica non est a Parocho retardanda seu differenda cadaveribus sub praetextu compositionis quarlae funeralis. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. in Cassanensi

5. Maii 1617. Nec etiam propter jus sepulturae minime solutum, cum nulla ratio patiatur christianaeque pietati repugnans videatur, maxime vero ob pecuniarum interesse, cadavera inseputa remanere. Sacra Congreg. Episcop. et Regul. in Crotoniensi 17. Septembris 1617.

13) Intra ecclesiam.

Vd.: *Sepult.* (electio; qui non sunt capaces etc. ?; damnatorum); *Visit. de funerib.*

Quamvis olim in solis coemeteriis et nullus in ecclesia sepeliri potuit, ut patet ex *cap. praecipendum* 15. caus. 13. q. 2. et *cap.: nullus* 18. ead. caus. 13. quaest. 2. ibi: „Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi aut Abbates aut digni Presbyteri aut fideles laici“, id est fama Sanctitatis et miraculis clari, ut explicat *glossa* *ibid.* verb.: *Fideles*, tamen hodie et jure et consuetudine introductum est, ut omnes catholici sive clerici sive laici in ecclesiis sepeliantur, *cap.: Fraternitatem* 3., *cap.: Ex parte* 5. et *cap.: Cum liberum* 6. de sepulturis, juncto *cap.: Cum gravia* 17. caus. 13. quaest. 2. ubi additur ratio, ibi: „prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt.“

Sepulturae construi possunt in quovis loco religioso, id est ubi divina officia celebrantur: *Communis, argum.* *cap.: Cum quis* 2. §. *Si quis*, de sepulturis in 6. ibi: „Si quis antiqua dimissa novam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi (licet jura super hoc videantur esse diversa) nequaquam volumus impugnari.“ Pro loco autem minus religioso intelligitur talis locus, qui religiosus quidem est, sed tamen minus talis, utpote in quo minus fre-

quenter officia divina, missae aut publicae orationes fiunt, ut explicat *glossa* communiter recepta in cit. *cap.: Cum quis*, verb.: *Casus*.

Admonet tamen *Glossa* *ibid.* melius et utilius esse sepulturam construere et sibi eligere in magis religioso loco, ubi magis celebrantur divina. Quod idem expressius docet rationem reddens alia *Glossa* in *cap. fraternitatem* 3. de sepulturis verb.: frequentius, ibi: „Haec est ratio, quare potius sepeliuntur homines in locis religiosis, quia frequentius ibi divina officia celebrantur.“ Ad quod aperte facit expressus textus in cit. *cap.: Fraternitatem*, ibi: „Fraternitatem tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulcra et caemeteria apud illas ecclesias et monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti et orationes atque missarum solemnia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur.“

Hinc *Bordonus* tom. 2. resolut. 51. num. 87., *Pellizzarius* tom. 2. sui manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. subsect. 24. sub. n. 144., *Donatus* tom. 3. tract. 10. de sepultur. q. 8. et alii *expresse docent, melius et utilius esse sepulturam sibi construere et eligere in ecclesiis regularium* quam aliorum. Et ratio est clara, quia sepulti in ecclesiis Regularium ex frequentiore divinorum officiorum celebratione plus de piis operibus participant, cum etiam ex majori frequentatione populi occurrentis ac divina officia in dictis ecclesiis audienda frequententer de ipsis fiat memoria, sicque frequentius orationes et suffragia pro ipsis Deo offerantur. Quod clara indicant verba ipsa cit. *cap.: Fraternitatem*, ibi: „In quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti et orationes atque missarum solemnia tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur.“

Tum quia in dictis ecclesiis sepulti cum habitu religioso lucrantur indulgentiam plenariam ex indulto Leonis X. ut patet ex dictis sub verb.: *Habitus*.

Quamvis enim olim de jure communi sepulturae construi et eligi potuissent solum in ecclesiis parochialibus earumque caemeteriis, utpote solis habentibus fundatam pro se intentionem, ita omnes Parochiani ibidem sepeliri deberent, pro text. in *cap.: Nos instituta* 1., *cap.: Fraternitatem* 3., *cap.: In nostra* 10 de sepulturis, *cap.: Cum quis* 2. cod. in 6., *Clementin. Dudum* §. *Verum* de sepulturis, cum similibus, tamen hodie possunt etiam construi et eligi in ecclesiis Regularium ex speciali privilegio juri communi inserto, fratribus praedicatoribus et minoribus concessio in *Clementin. Dudum* 2. §.: *Hujusmodi*, de sepulturis, et *Extravagant.: Super Cathedrales* 2. §.: *Hujusmodi*, de sepulturis; quo privilegio gaudent omnes alii Regulares tum per communicationem tum per speciales sibi ad id factas a Sede apostol. concessionem, ut videre est in compendiis privilegiorum Regularium testaturque communis doctorum et docet praxis universalis.

Sepulchra nova construi non possunt in ecclesiis saecularibus absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo et in ecclesiis Regularium saltem a Provinciali: Concilium mediolanense I. n. 2. tit. de sepultur. vers.: *Verum curet*, et s. Pius V. in constit.: *Cum primum Apostolatus*, *Barbos.* lib. 2. juris eccles. univers. cap. 10. n. 9. cum pluribus ibi citatis et alii passim. Ut in ecclesia nihil indecens relinquatur, Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacristae, Ostiarii et alii Custodes etiam Regulares provideant, *ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria, super terram existentia, omnino amoveantur*, prout